



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

NATIONALBIBLIOTHEK
IN WIEN

128019-B

ALT-



176. 11. 417

DE
OFFICIIS HUMANITATIS
EORVMQVE
OBLIGATIONE
PRAEFATVS

SOLEMNIA
DISTRIBVENDORVM SVMMORVM IN PHILOSOPHIA
HONORVM LAVRAEQVE POETICAE
PHILOSOPHIAE BONARVM ARTIVM ATQVE POETICES
CANDIDATIS CREANDIS ET INAVGVRANDIS
IN DIEM XVI. OCTOBRIS MDCCLXII.

INDICIT
ET AD EA CELEBRANDA
HUMANITER INVITAT

COLLEGII PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA WITTEBERGENSI

DECANVS
CAROLVS FRIDERICVS HOFMANNVS

LIPS. A. M.
FACVLTATIS PHILOSOPHICAE ASSESSOR ORDINARIVS
H. T.
COMES PALATINVS CAESAREVS.

WITTEBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ADEMIAE A TYPIS.

OFFICE OF THE SECRETARY OF THE ARMY

WASHINGTON, D. C.

30 APR 1918

DEPARTMENT OF THE ARMY
OFFICE OF THE SECRETARY
WASHINGTON, D. C.

COMMISSIONED OFFICERS

CAROLUS THOMAS

1918

WILLIAM G. ...



Quantquam omnibus hominibus natura tributum est, ut eximium virtutis decus celebrent, eius tamen cupiditate moti, paucos dolemus, eiusque studio trahi pauciores. Laudatur ab omnibus, iactatur a multis, at a perpaucis exercetur, quae virtutum numero in primis habetur, humanitas.

I.
Humanitas a plurimis neglecta, commendatur.

Quis enim est, qui eo vecordiae progredietur, ut illam neget venerandam esse praecipue in Philippo, qui Acheniensium non tam milites audaces armorum vi, quam ciues potius perterritos humanitate vicit ac comitate. Neque quisquam est, quem, letis antiquioris aevi scriptoribus, fugiat ista acclamatio, quam sibi fieri quotidie mane iussit dux iam laudatus: Φιλιππε, ανδρωπος ει, Philippe, cogita te esse hominem. Quae quidem verba quantum effecerint in Philippo, Polybius (V. histor. c. 10. Iustinus IX, 4.) ample commemoravit. Ea vero Philippi humanitas

IV DE OFFICIIS HUMANITATIS

raros habet imitatores, quamvis non desint, qui in hoc virtutis genere sequantur militem gloriosum. Quibus facilius iniici pudor non potest, quam si quæras ex illis, quid tandem sit, cum factis non probent eam virtutem, illud, quod vocent humanitatem. Tum vero, si rite auguror, aut nullam docebunt, aut falsam se habere notionem: hinc ne mireris, si menti facta respondere videas, atque intelligas, errorem gignere vitia. Quæ inscitia atque notionum permutatio hoc in primis tempore me mouet, vt virtutis antiquæ renouem splendorem, neque fictum vultum, sed veram eius formam omnibus proponam, qui sectari eam cupiunt. Cuius vero expetendam esse humanitatis laudem, patebit ex officiorum elegancia, ad quæ perueniunt humanitas. Neque est, quod dicas cum Iulio Cæsar, nihil iam humanitatem obesse in publicæ, atque ex illis argumenteris, bellant ferum fortis in moribus asperitatem, atque crudelitatem in factis. His enim qui ita vitia sua regere solent, facile erit, summa virorum exempla verusta ostendere, quibus humanitate effuderunt, quam armorum violentia, vt intellegant, iustam esse Isocratis ad Nicoclam commoacastionem. *πρὸς τὸν Νικόκλῃ Φιλῶντος ἑταίρου ἐπιτομῆς Φιδεπόλις, præterea humanum esse oportet et populariorem.*

Quo digniori cum lectoribus nostris gratiam faciat ista virtus, neuis laudibus enūmerandis impares sumus dignis, hoc quo melius ab illis cognoscatur, quid sit hoc loco a nobis describendum, hunc nobis ordinem in deperanda proponimus, ut primum dicamus, quid sit humanitas, ac quænam ab illa

I.
a. ratiocinatio
-aliqua virtus
-abstrusum

II.
Institui ratio.

illa nomen factum addeperint officia recenseamus, in quibus maxime ea, quae sunt in bello tempore exerceri possint. Quibus factis ad istorum officiorum obligationem me contiertam, atque scriptabor, qualis ea sit: ac si inuenierimus eam esse imperfectam, restabit ut inquiramus, num incidere possimus in temporalia, quibus ad officia ab humanitate dicta perfecte obligemur.

III.

Quemadmodum in uniuerso eruditionis, praesertim philosophicae, ambitu nulla fere vox est reperienda, cui non tribuatur varia significatio, eaque saepius contraria: ita humanitas, de qua nos quidem uerba facimus, sensu duplici usurpatur, adeoque subiicitur ambiguitati non vox ipsa solum, sed etiam ea, quae ab ista deriuantur, officia. Aut enim humanitate continentur omnia, quae homini sunt propria, ut risus aequae ac eiulatus prodit humanitatem. Aut humanitas dicitur ea *virtus consuetudinis*, uti descripta legitur in S. V. ERNESTI iunctis doctrinae solidioris, (iure nat. §. 187.) *qua nihil magis hominem decet: ea est in modo posita, quo cum aliis agimus et loquimur, isque eiusmodi esse debet, ut grati eis simus atque iucundi.* Ab utroque uocis significatu denominantur officia humanitatis, quorum non diuersum, potius contrarium miramur sensum. Illam si sequeris significationem, atque humanitatem in eo ponis, quod ad hominis naturam pertinet, officia inde dicta alia esse non possunt, quam quae homo homini debet iure naturae. Id enim hic sumere licet, humanitatis officia quanquam sint etiam in Deum ac se ipsum, ysu ta-

III.
Humanitatis
uatio exponitur.

men loquendo nomine de nullo alio officiorum genere adhiberi, nisi de iis, quae spectent socium. Iure naturae obligamur, ut alterius vitam tueamur, eaque re eius statum, (loquar cum philosophis recentioribus) reddamus perfectiorem. Quicumque igitur in hunc finem suas non dirigit actiones, potius nocere vel aperta vi, vel tectis insidiarum telis studet, is omnem deposuisse dicitur humanitatem. Horrenda, barbara eaque inhumana fuit Graiorum, in primis Atheniensium consuetudo, qua liberos exposuerunt, ita, ut sibi relictis morti acerbae, vel saltem fortunae dubiae traderentur. Quo saepius istos facinorosos mores meditor, eo magis miror Graiorum alias omnino celebratissimorum indolem, qua omnem exuerunt humanitatem, eaque officia, ad quae iure naturae erant obstricti, neglexerunt. Laudetur contra Thebanorum lex, quae cavit, ne exponerent infantes neque in deserta loca abiicerent, capitisque supplicium constituit in facinus adeo saevum. Vere ait Aelianus (var. hist. II; 7.) νομος ἕτος Θηβαίικος, ορθως ἀμα και Φιλανθρωπος κ. τ. λ. *lex haec Thebana recte pariter atque humaniter constituta.*

IV.

IV.
Humanitas
tanquam vir-
tus consideratur,
eiusque officia.

Illam autem officia, quae homo homini debet, propterea ut societas alatur tranquilla, ex iure naturae facili negotio hic describi amplius possent, ac recenseri, nec, ut arbitror, praesertim nostris temporibus, sine utilitate quadam, ut intelligerent ii, qui hominis vitam tam vili habent pretio dignam, quantum ius det natura homini cuius, etiam capite censo, vel feruo. At nolumus ea repetere, quae a quolibet iuris naturae doctore

doctore doceri solent, nec satis possunt inculcari: nolimus id officiorum genus animis nostris proponere, quod debemus alteri; sed ea reuocare in animum officia, quae hominem decent, malimus, praesertim cum videamus, ea saepissime negligi non solum in societate, verum in docendis etiam in socium officiis. Humanitatis igitur officia, de quibus animus est breuiter differendi, ab omnibus aliis officiis nobis videntur eo distingui, quod ad ea sit obligatio imperfecta. Haec officia quin naturae conueniant humanae, atque arctius reddant societatis vinculum, dubitari non potest. Itaque iure dicuntur *humanitatis officia*, nam eorum fons atque origo est humanitas, virtus illa praecleara, quae sibi contrariam habet *iusuriam* societati molestantem atque odiosam, *amoris*, quia ex solo amore, ut ait Koehler (exercitat. iuris naturae §. 736.) extorqueri nescio proficiscuntur, *amicitiae*, quia vel eam conciliant nobis vel magis augent. Cum opponantur officiis, quae nomen accipiunt a necessitate, audiunt officia *commoditatis*, quia ad ea praestanda alter inuitus cogi vi quadam non potest. Appellatur etiam ab his, qui officii vocem confundunt cum obligatione, ut Koehler iam dicto, *imperfecta*, *inefficacia*, quippe quae alterius *amori*, *humanitati*, *honestati*, *pudori*, *religioni et conscientiae* relinquuntur. Nostrum quidem esset eas species, quae hoc officiorum genere continentur, recensere singulas, at tantus est earum numerus, ut ne liber magnae molis quidem, nedum hae pagellae eas capiant. Tum enim, si recte iudico, debent officia ista in certas classes redigi, quae forsitan secundum varios hominis status formari possunt. Officia quidem stricte sic dicta enumerare possumus secundum

cundum leges naturae, diuinas, atque humanas; ut longum foret percellere illa amoris infirmi signa, quae coniugi coniux edit, illa sororis parentum documenta, quae curis perpetuis praestant parentes liberis, illa indulgentiae specimina, quae familiae praebet pater familias, illa clementiae testimonia, quae princeps offert subiectis, ceteraque officia, quae patronus clienti, hosti hostis, amicus amico, socius socio iure stricto non debet, sed citra pactum ad debita addit ex humanitate quadam, ne amplius dicatur prouerbio: homini hominem esse lupum.

V.
Inter arma iure non filiet lex humanitatis.

Quosdam audio dicere, illud tritum, si quo tempore, in primis eo, quo bellum geratur, veritati respondere, tum enim non hostes solum vi rapere bona, verum etiam infidiis permultis ciuem a ciue opprimi et defraudari, ita vt videantur officia, quae alter alteri debet, obliuioni tradita; nedum illa, quae humanitate nitantur. Ita vera se res habet, bellumque homines reddere peiores, qui non intelligant, quid sit iustum, quid honestum, quid decorum, neutro, qui hac nostra aetate vitam agit, ibit inficias. Verum est, humanitatem, utroque sensu supra laudato ita dictam, belli tempore saepissime negligi. At illorum sententiam nunquam feram, qui dicunt, hanc morum deprauationem poni in belli natura; potius equidem cum Valerio (V. 4. 6.) facio, qui ita fatetur: *Nec illi (humanitari) difficile et arduum est, inter arma contraxio, inter districtos comminus mucrones placidum iter reperire: Vincit iram, prostermit adum, hostilemque sanguinem hostilibus lacrimis miscet.* Nam cum bellum

lum gerere modo licent, vt vis iniusta propulsa, atque iniuria facta sarciasse, tantum in hostem concessitur, quantum uterque finis postulat, nisi velis hominem exuere, et pro milite latronem imitari.

Quo melius intelligant, ex belli natura nequaquam, sed ex naturali ad quaeuis mala inclinatione hominum esse deriuandos mores prauos in primis belli tempore vitatos, varia, etli non omnia humanitatis officia, afferam, quae hostis hosti exhibere potest, praecipue ea, quae summa cum laude principum ab antiquae historiae scriptoribus commemorantur. Humanitatis est, captiuos quosdam, iuuenes praesertim, feminas, infantes, atque alios, arma ferre qui non possunt, vt illa ducenta millia Iudaeorum, iussu Prophetae (2 Chronic. XXVIII.) sine redemptione dimittere. Quod enim ius belli in captiuos statuit, mitigat humanitas, exemplo Scipionis, qui quidem Aetos vendere quaestorem iussit, at ex his Hispanos sine pretio omnes domum misit, domis regulis principibusque eorum diuisis. Dicat forsitan aliquis, hanc Hispanorum dimissionem liberam non prodece Scipionis magnitudinem animi, quam esse putant barbari, sed si rem ipsam attendas, prudentiam, et aium politicam, quidem ea humanitatis specie gentem Hispanorum barbaram voluerit fallere, quo facilis id quod huc colliditum fuerit feliciter allecutus, se eius fidei traderet. At vero, quamquam multa de isto facto in utraque partem disputari possunt, nolim tamen Scipionis animum fingere talem, qualis est in astutis, qui sua

VI. Officia humanitatis belli tempore recensentur varia.

1. Captiuorum dimissio.

fua vbiuis, etiam in beneficiis collocandis, quaerunt commoda. Etenim tum ab Romanis pura piague duella, vt veteri vtar. formula, adhuc gerebantur, nec solius vtilitatis, sed honestatis praecipua habebatur ratio. Itaque tanta fuit in Scipione humanitas, vt in ipsis Afris faceret dilectum. Quaestor, qui illos iussu imperatoris vendit, puerum adultum inter eos forma insigni, cum audiret regii generis esse, ad Scipionem mittit, forte eo consilio, vt hunc iuuenem, qui non ignorat se prole natum regia, vel in vinculis teneat perpetuis, vel in suam sibi seruet seruitutem, vel capitis damnet supplicio. Prudentiae enim erat, ex his eligere vnum, quo tutius imperare victis liceat; at prudentiam superauit humanitas, qua cum interrogauit, *velletne ad Masinissam reuerti? cum effusis gaudio lacrimis cupere vero, diceret; tum puero anulum aureum, tunicam lato clauo cum Hispano sagulo et aurea fibula, equumque ornatum donat, iussisque prosequi, quoad vellet, equitibus, dimisit.* (Liuus XXVII, 19. Valer. Maxim. V, 1. 7.) Quid ad Pyrrhi mansuetudinem addi potest, cuius de captiuis reddendis regalis sane et digna Aeacidarum genere sententia laudatur a Tullio (offic. I. 12.)

*Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis:
Nec cauponantes bellum, sed belligerantes
Ferro, non auro vitam cernamus utrique,
Vosne velit an me regnare hera quidne ferat fors
Virtute experiamur, et hoc simul accipe dictum:
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem me libertati parcere certum est.
Dono, ducite, doque volentibus cum magnis diis.*

Bello Punico primo eandem hostibus praebitam esse

huma-

humanitatem a senatu Romano multis laudibus celebrat Valerius, loco statim dicto, (§. 1.) qui est de humanitate et clementia insignis: *Qui (senatus) cum Carthaginensium legati ad captivos redimendos in urbem venissent, proinus his, nulla pecunia accepta, reddidit, iuvenes, numerum quibus milium septingentorum, quadraginta trium expletes.* Nec recentius ignorat acuum talem humanitatem, potius ex Io. Honr. Hottingeri methodo legendi historias helveticas (§. 14. L. p. m. 275.) cognoui, referri incolarum oppidi, quod Soloduram vocatur, salutariam humanitatem. *Quam urbem obsidens Leopoldus supra oppidum ponte sublicio Arulam fluvium iunxerat, quod dum copias suas traiecit, inundationibus soluto, multi periere: oppidani vero (raro inter hostes exemplo) complures submergendi pericula, lembis, et porrectis bastis exemptos, absque pretio in castra ad Leopoldum misere, qui hoc eorum facto motus, bello ultra persequendos esse, non putavit.*

VII.

Ad officia, quae humanitati sunt relicta, referendum praecipue existimo, cum vitae tuae insidiatores non interficis; sed feliciter detectos pudore afficis, atque beneficiis tibi concilias. Tantis fuit in Tito animus, ut, quamvis interdum vlciscendi causa non deesse, periturum se potius, quam perditurum iuraret. Quo atrocius fuit facinus illorum divumirum patricii generis, qui affectarant imperium, eo maior fuit clementia, qua usus est aduersus illos. *Nihil enim, ut auctor est Suetonius (cap. 2.) amplius, quam ut desisterent, monuit. In quid praeterea desiderarent, promittens se tributurum: et contestum*

VII.
2. Venia data insidiis.

quidem ad ulterius matrem, quae procul aberat, cursores suos misit, qui anxiae filium saluum nuntiarent. Caeterum ipsos non solum familiari coenae adhibuit, sed et insequenti die gladiatorum spectaculo circa se ex industria collocatis, oblata sibi ornamenta pugnantium inspicienda porrexit. Qualis erga alios fuit Titus, talem eum eodem loco exhibet Tranquillus in fratrem, quem insidiari sibi non desinentem, sed paene ex professo sollicitantem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, neque seponere, ac ne in minore quidem honore habere sustinuit; sed ut a primo imperii die, consortem successoremque testari perseveravit: nonnumquam secreto lacrymis, et precibus orans, ut tandem mutua erga se animo vellet esse. Eadem fere humanitas laudatur ab Aeliano (VI, 14.) in Dario, Hystaspis filio, qui cum sibi insidias acciperet strui ab Aribazo Hyrcano aliisque Persarum viris celeberrimis, ut inter venandum ipse caderet, e venatione non discessit, potius magno animo illis ipsis consilia sua ita patefecit clandestina, ut iuberet eos arma capere et equos, atque intendere nervos. Quo iussu inopinato perterritos ac fere exanimatos, adeo, ut hastas abicerent, in hanc sententiam affatur: τί εν ε δρωτε ταςτο, εφ' ο και ωρησατε; quid tandem est, quod non perficiatis id, cuius causa impetum fecistis, vel, quod magno studio decreuistis? tum illi currunt, non ad interficiendum, sed προσκυνησαι Δαρεον, και εικοντες παραδεναι, ο, τι και βελοιο πραττειν, ut adorent Darium, seque ipsos eius arbitrio prorsus tradant. Quid tum? num interfici iubet, an in servitutem perpetuam eos addicit? nec utrumque, potius exilio leuiori punit eos, ο δε διετησεν αλλας αλλη, και τας μεν επι τας της Ινδικης ορια απεπεμφε, τας δε επι τας Σκυθια, ille vero

segregavit alios alio, hos ad inuicem fines misit. Quos ad Scythiam. Similiter Gelon, Syracusiorum tyrannus filios infidiatore, in publica concione, cum abiectisset arma, prouocauit: *de totius vobis et xistorum quos non dicitur praesidio, non didicimus xistorum et, in praesidio, ecce igitur tunica nudus ab armis me vobis sum, vestroque trado arbitrio.* (Aelian. XIII, 37.) at nemo eo processit audaciae, ut infidiarum tela mutaret in arma hostis, quare Syracusii decreuerunt, ut supplicis afficiendi tradissent Geloni, qui vero recusauit, eosque populo reliquit puniendos.

VIII

Quemadmodum humanitate nobilitatur is, qui infidiatorebus proditis benignam dat veniam, ut frangat animos illorum atque emendet, ita nec minus est humanitas eorum, qui hostem clam interdicere nolunt. Huc refero ex scriptoribus sacris Dauidem, qui vitam eripere, quamuis data occasione, non est ausus Sauli, hosti se studiose persequenti. Res est notissima cuius, saltem esse debet ex I Sam. XXIV. XXVI quare notius eam amplius referre, praesertim cum plures extent, qui in eadem causa idem, quod Dauid, censuerunt. Inter Romanos celebratissimus fuit Fabricius, qui hostem non venent vincere studuit, sed armis. Plurimum quid passum esse dicentur, qui hostem quouis modo persequendam existimant, opprimendum, atque interficiendam, cum relatum legent ab Eutropio, (II, c. 8. collat. Seneca ep. 120. Aelian. XII, 33. Valer. Max. VI, 5.) tum, cum vicina castra ipse et rex haberent medicum Pyrrhi ad eum nocte venisse, promittentem se veneno Pyrrhum occisurum, si sibi aliquid polliceretur.

VIII.

3. Neglectus usus praesidorum, quibus clam inserimur posse hostem.

tur. Quanta quaesumus voluptate alii Fabricii dissimiles hunc nuntium acciperent, qui certam victoriam secum ferre dicitur! Quot quantaque medico factae essent pollicitationes, quamvis euentu carentes, nisi res delata esset ab ipso imprudenti ad Fabricium, quem largimur humani quid passum esse, id est, abhorruisse ab impia hominis nece, neque consensisse in facinus viro ingenuo maxime indignum, regis, heri, eiusque, qui omnem fidem suam in medico collocarat, prodicionem leuissimam. Recte igitur humanitate eo permotus est dux Romanus, ut medicum vinctum reduci iuberet ad dominum, Pyrrhoque dici, quae contra caput eius medicus spondisset. Ille est Fabricius, quem difficilius ab honestate, quam a cursu suo solem, auerti posse, miratus est hostis vitae insidiis liberatus, Pyrrhus. Eleganter in eam causam canit Claudianus atque gloriatur:

Romani scelerum semper spreuere ministros:

Noxia pollicitum domino miscere venena

Fabricius regi nudata fraude remisit

Infesto quem Marte petit, bellumque negavit

Per famuli parrare nefas:

Dum istam Fabricii laudat humanitatem, queritur Rollinus (hist. Rom. tom. 3, p. m. 451.) scriptores recentiores talia negligere praeclare facta, quae a maioribus memoriae studiose sunt prodita, ut in illorum exemplis haberemus virtutem humanitatis, quam imitando persequeremur. At quanquam moneri potest, nostra forte aetate cum sint exempla tantae humanitatis rariora, ea referri igitur non posse ab historiae scriptoribus, hos tamen non negamus istam humanitatem, quae vel vitae hostis parcat, male in principum

victis imprudenter commissis ponere sine eis, ne
 principi maculam inspergant, studio sceleris memori-
 am. Quo magis laudandas Rollius, qui, ne carere
 plane videatur actus recentior exemplo humanitatis,
 Gallica ex historia repetit Ludouicum XI, qui Caro-
 lum Audacem, hostem perpetuum, de Campobassi, Ita-
 li, proditione fecerit certiorum. Haec mihi legenti ve-
 nit ex historia patria in memoriam illius generose ac-
 ti, quo usus est Fridericus II. Saxoniae elector, cui se
 obtulit miles quidam, qui Wilhelmum III. fratrem, ad-
 versus quem aciem struxerat, interfecturum se suo
 rebo pollicetur, cui vero Fridericus quocumque velis
 mitte tela, nec vero in fratrem meum. Quae huma-
 nitas, cum ad Wilhelmi aures perveniret, hunc com-
 movit adeo, ut cum fratre rediret in gratiam. (vid. Al-
 bini Meissische Landchronic, tit. 20. p. 278.) Tanta
 igitur est virtutis honestas, ut etiam in hoste probeatur
 a Saule, Pyrrho, Wilhelmo, tantum contra crudelita-
 tis dedecus, ut canat Euripidas:

Oudeis ante euloxos aeiou kadesa
Ktedoi ton exedon.
 ...
 ...
 ... IX ...

Si igitur is, qui colit humanitatem, ab hostis nece
 clandestina abstinet, nec finet unquam hostem clade
 publica interentum iacere insepulchrum. Hostium se-
 pulchram dico humanitatis officium, quia nec mortu-
 us viam, nec victorem victus cogere unquam po-
 terit, ut corpus mortuum terrae mandet. Hinc et legi-
 mus illam a veteribus neglectam, ideo in Herculis vir-
 tutibus referri. Is enim primus dicitur ab Aeliano
 (XII. c. 27.) post hominum memoriam, qui mortuos
 hostes suis reliquerit sepeliendos. Quae Herculis hu-

IX.
 4. Hostium se-
 pulchra.

mani-

manitas eo magis istis temporibus est celebrata, quo rarior fuit, ac quo maiori laborarunt superstitione de mortuorum insepultorum calamitate, quippe quorum animi circumuolent errabundi, corpora vero sint *κυστι μελτηθρα*. Ne igitur mireris, si non paruum humanitatis senatus indicium appellat Valerius Maximus (l. c.) cum *Syphacem quondam opulentissimum Namidiae regem captiuum, in custodia Tiburi mortuum publico funere censuit efferendum, ut vitae dono honorem sepulturae adiiceret. Consimilique clementia in Perse usus est: nam cum Albae, in qua custodiae causa relegatus erat, decessisset, quaestorem misit, qui eum publico funere efferret: ne reliquias regias iacere inhonoratas pateretur.* — (§. 2.) *L. Cornelius consul primo Punico bello, cum Olbiam oppidum cepisset, pro quo fortissime dimicans Anno dux Carthaginensium occiderat, corpus eius e tabernaculo suo amplo funere extulit. Confer et §. II. extern. §. 4. 6.*

X.

X.
s. Pax honesta
victis data.

Saepe numero accidit, ut pacem peterent a victore victi hostes, quam dare, si victoriam persequi studet, recusat victor, suo ipsius nonnunquam maximo cum detrimento nam.

Mars ubiuis, nec certa Venus, victique resurgunt:

Quosque neqes unquam posse iacere, cadunt.

Victoris igitur humanitati tribuimus, cum hosti victo supplici pacem largitur honestam. Etruriae populis, qui per viginti annos bellum cum Romanis gesserant, veniam dedit Tullius teste Dionysio Halicarnass. (l. IV. antiqu. Rom. ed. Sylburg. p. 231.)

Τυλιος δε της μεν αφορατης ευκα, και των εις θεης αφημιμακτων, δε ευγυντας παιδοαμενοι, τον σφολαγων, παρεδωσαν τα αυτημενα, ποδων αυτους

τους εφη τιμωριων αξιαι ειναι και μεγαλων της δε Ρωμαίων επι-
 εκειας και μετριοτητος, επειδη συγγατες αδικειν, τεμμασι και λι-
 ταιριαις παρετηντο την οργην, υδεν εν τω παρεντι, ατυχησει.
 ταυτα ειπων, καταλιμεται τον προς αυτους πολεμον, ταις μεν αλ-
 λαις πολεσει απωνως και, διχα οργης μησιτικαις, πολιτευεσθαι τε
 αποδωδ, ως προτερον, και τα ιδια καρπιαδα, μενσαις εν ταις
 γραφειταις προς αυτας συνθηκαις υπο βασιλευς Ταρκυνις τρεις
 δε εξ αυτων πολαις, αι προεξανετησαν τε και τας αλλαις υπηγα-
 γοντο κατα Ρωμαίων εξεγενει τον πολεμον, Καρηταιων και Ταρ-
 κηντων και Ουλετανων, ταυτας αφαιρεσει χωρις τιμωρησασμενος,
 ην κατακληνηχιστε Ρωμαίων τοις νησι, παρεληλυθασι προς πολι-
 τειαν. Similiter Coriolanum mouere potuerunt neque
 missi de pace oratores, neque sacerdotum suis venera-
 bilibus insignibus velatorum supplex collegium uni-
 uersum; at eius animum, olim Romanum, nunc bar-
 barum, flexerunt tandem mulieres precibus lacrimis-
 que, mater, coniux, liberi. In quibus Marcii mater
 in primis verba fecit lectu dignissima eleganter ex-
 pressa a Liiuo (II, 40.) quae summa animi amorem
 inter et iram dubii perturbatione velut ex scaturigi-
 ne defluerunt, et virum, qui nec publica in legatis
 maiestate, nec religione in sacerdotibus yniuersa mo-
 tus erat, de statu suo deiecerunt; ita, vt complexus
 suos dimitteret, ipse retro ab vrbe moueret castra,
 atque abduceret Volscorum legiones ex agro Romano.
 Ita Romana obsidio, quae yi non potuit repelli, sub-
 lata est humanitate.

XI.

Satis de officiis humanitatis, quorum plura affer-
 ri in medium possent, vt salutatio, hospitalitas, cuius
 exempla commemorata leges a Valerio saepius lauda-
 to (S. 8. 9. Liu. XXVIII, 18.) venia data peccanti ex

XI.
 Officia huma-
 nitatis imper-
 fectam habent
 obligationem,

fragilitate indolis humanae, accepta depositi custodia, alia; at iis, quae iam adduximus ad aetatem nostram ferream maxime accommodata, mihi persuadeo, satis esse demonstratum, qualia ab humanitate nomen accipiant officia. Dicendum est de eorum obligatione, sed breuiter. Aut vis externa nos vrget, aut momenta tantum quaedam animo nostro proponuntur, vnde existit pernota obligationis in perfectam atque imperfectam distributio. Perfecte obligamur, cum necessitate externa vel physica adigimur; imperfectam autem dicimus eam obligationem, cui inest sola necessitas moralis. Quod obligationis discrimen, in philosophorum scholis hodie receptum, docere quidem facile est, verum ad res apte applicare, hic opus, hic labor. Si de hac vel illa actionum specie quaeritur, qualis ei competat obligatio, plerumque cernimus in diuersas partes abire doctores. Negandum quidem non est, in eo consentire omnes, quoad scio, officia humanitati relicta per se carere obligatione perfecta. Nec aliter res potest esse per definitionem supra datam. Humanitatis enim natura postulat, vt ne actio illa, quae ex amore deducitur, simul possit ex vi quadam oriri externa. Nam si me compellit alter, vt ei dono dem facultates meas, quid, si dedero, num donum dices, num officium humanitatis? Ex quo apparet, humanitatem vique externam vno eodemque tempore in eandem causam conuenire non posse. Si igitur differis de humanitatis officiis, illis tribuendam esse obligationem tantum eam, quae nitatur momentis voluntatis arbitrariis, vides ac colligis, eaque re obligationem, quam aiunt imperfectam.

XII.

At longe alia videtur esse disputatio, cum quaeris,

XII.
nunquam per-
fectam,

num obligatio ad officia humanitatis fieri possit unquam perfecta? Aiunt alii, alii negant. Illorum numero habentur ii, qui Wolfium, doctorem illum in scientiis philosophicis illustrem, sequuntur. Is enim loquitur de quodam iure necessitatis, quo necessitas extrema ius petendi conuertat in ius cogendi, ut detur. (Iure nat. part. VI. §. 599. sq.) Ab horum parte in primis stat Henricus Koehler in exercitationibus iuris naturalis eiusque cum primis cogentis (§. 735. sq.) In qua disceptatione diiudicanda si veritatis studio tenemur, cauendum omnino esse suadeo, ne disputemus de verbis, in rebus conspiremus. Omnem iuris naturae doctorum, quorum numerus ex hac illaque parte, si liberet, augeri facili negotio posset, nos iam fugiamus auctoritatem, et dicamus sincere pariter atque, cum de humanitate loquamur, humaniter, id est, saluis aliorum iudiciis, quid nobis de causa proposita videatur. Quaestionem si formas ita, ut supra est relata, num obligatio ad officia humanitatis fieri possit unquam perfecta? nego, atque censeo, eodem subiecti atque obiecti statu permanente, nunquam fieri posse, ut sit obligatio perfecta. Officia sicut dicuntur ab humanitate, sic etiam ex huius natura deriuantur. Quamdiu igitur de officiis, quorum ratio, causa, momentum voluntatis in humanitate ponitur, loquimur, tamdiu negandum est, illa officia habere unquam obligationem perfectam. Tum enim adesset obligatio perfecta atque imperfecta simul in eodem obiecto, sibi contrariae, quod maxime abhorret a ratione. Quicquid igitur dicitur ab humanitate officium, ad illud imperfecta obstringimur obligatione: ubi contra adest obligatio perfecta, illud dici nequit humanitatis officium, nisi velis perturbare verba, summaque profundis commiscere, sed officium necessitatis.

XIV.

XIV.
ne in summa
quidem neces-
sitate.

Rem illustrabo duabus caussis, quae ex hoc capite sunt iudicandae, ut appareat non in obligatione fieri permutationem, sed in ipso subiecti vel obiecti statu, qui si conuertitur, necesse est, ut ipsa officia permittentur. Fingit Wolfius casum summae necessitatis, quo obligatio ad officia humanitatis fiat perfecta. Hinc ait: (§. 595.) *Si quis destituitur penitus usu rerum necessariorum, nec in potestate ipsius sit, ut eas nequo pretio vel praestitis operis sibi comparet, neque etiam eas precibus ab aliis impetrare possit; in statu naturali eas alteri inscio ac invito auferre, immo vi eripere licet, qui iisdem carere potest.* Hoc vocandum negat furtum (§. 596.) rapinam (§. 597.) sed ius necessitatis (§. 598. sq.) quia in extrema necessitate ius commune ad res reuiuifcat (§. 600.) At, quod pace eorum, qui tanti viri manes venerantur, dictum sit, primum summa mihi videtur necessitas fingi, quae vix ac ne vix quidem est reperiunda. Rariora, plane enim negare nolo, sunt exempla hominum, qui tanta cultus victusque inopia sint oppressi, ut nec famem lenire, nec depellere sitim, nec tegere possint corpus, quique, si cum sociis adhuc locupletibus uiuant, hos flectere precibus, lacrimis, eiulatu, vultus torpore, oris anhelitu, corporis nuditate nequeant, ad res maxime necessarias e penu promendas, ac secum communicandas. Dites, qui de pauperum egestate, nuditate, summaque inopia laetantur, me quidem iudice, non hominum, sed canum induerunt humanam formam naturam. Fac, quod satis dolere non possumus, in humana societate talia ali monstra, fac adesse summam necessitatem, ubi nec labore panem mereri, nec pecuniam possis emere ad victum necessaria, nec precibus af-

sequi a diuite inhumano, tum lubenter assentior Wolfio, qui censet, in statu naturali eas alteri incio atque inuito auferre, imo vi eripere licere, qui iisdem carere possit. Hinc non respuo sententiam eius de iure necessitatis (§. 611.) *Si in navigatione, aut obsidione defecerint cibaria, quod quisque habet, in commune conferre debet. (§. 613.) Si in navigatione nemo, qui in nauis est, cibariis deficientibus, habeat, quod in commune conferre possit; res comestibiles, quæ in nauis sunt, alio transportandas consumere, quantum ad famem duram depellendum sufficit: immo si nauis ad littora appulsa deficient nummi, ut æquo pretio cibaria comparari possint, res quaedam, quæ in nauis sunt, etsi alio transportandæ, vendi possunt.* Reliqua, quæ de equo alieno ad fugam capessendam adhibito in extrema necessitate, usu armorum alienorum ad sui defensionem, usu instrumentorum alienorum in incendio restinguendo, venditione frumenti in annonæ difficultate, aliis, affert (§. 614. sq.) digna sunt, quæ in ipsius iure naturæ legas. Etsi ista omnia largior, concedere tamen nolim aliis, qui inde argumentantur in hanc sententiam: alteri de facultatibus suis quicquam cedere, equum suum mutuum dare, alio tempore dicuntur humanitatis officia, nunc vero euictum est in extrema necessitate ad talia cogi posse alterum, quid impedit; quo minus dicas, ad officia humanitatis nonnunquam posse obligari hominem perfecte. At si inuestigas in hanc necessitatis causam, patet, non commutationem fieri in obligatione, sed in statu personarum. Officia, quæ antea erant humanitatis, tum non deriuantur a mansuetudine humana, sed, si permutatio facta est in subiecto vel obiecto, vere sunt necessitatis officia. Cogi alter omnino potest, ut, si panem abundantem habet, mihi esurienti in sum-

ma necessitate praebet panis frustum, quod, si mihi dedisset alio tempore, humanitas eius fuisset laudanda; ac hoc tempore, quo summa necessitate opprimor, status meus est permuratus, hinc et relatio, quae inter me atque illum intercedit. nam, cum mihi in summa necessitate de pane suo quicquam concedit, non humanitatis est memor, sed id facit iure, quo tenetur ad alterius vitam conservandam. Sin iure naturae obstringitur, renitentem cogere in statu naturali licet. Quae cum ita sint, cuius patet, diuersas a se sententias non valde discrepare, quamuis suadendum, vt accurate loquantur ii, qui de hac causa disputare solent, neque dicant obligationem tantum mutari, vt fiat ex imperfecta perfecta; sed tota conuertitur causa, ita, vt id, quod alio tempore sit humanitati relictum, nunc iure naturae exigatur.

XV.

XV.
De transitu
disputatur,
num sit officium
humanitatis.

Tandem disceptare in vtramque partem cernimus philosophos, cum peruentum est in iuris naturae doctrina ad transitum per alterius regionem. Cuius quidem transitus permissio num referenda ad humanitatis officia, an ad necessitatis? num princeps principi transitum denegare possit, eoque facto, num alter possit sibi vindicare transitum? Audio iuris naturalis scriptores plurimos referre transitus indulgentiam ad officia necessitatis, ad quae alter inuitus possit cogi. Quanquam haec palam dicere pauci audent, cum Laymanno (theol. moral. lib. 2. tr. 3. cap. 12. assert. 3. VII. p. 229.) ac Stiebrizio (Auserlesn. Wahrheiten der Vernunft und geoffenbarten Religion part. 2. l. §. 93. p. 277.) tecte tamen et per verborum inuolucra sententiam suam omnino produunt. Grotius, elegans iuris belli et pacis scriptor (lib. II. cap. 2. §. XIII. 1.) mentem suam his perspicuis exposuit verbis; *terrae flumina, et si qua pars maris in proprietatem populi alicuius venit, patere debet his qui transitu opus habent ad causas iustas.* Quam quidem sententiam emollire studuit Wolffius (l. c. §. 689.) *Transitus ad causas iustas per terras et flumina dominio subiecta denegari non potest, nisi metus iustus damni adsit.* At vero non desunt, qui transitus permissionem censeant esse humanitatis officium. Quo pertinent in-

primis

primis commentatores in illud Grotii dictum, Gronovius atque Zieglerus. Animo quidem constitueram argumenta, quibus utraque pars suam sententiam corroboraret atque ornet, recensere, quo facilius de hac dissensione iudicemus, ac videamus, a quonam stet veritas; at

nunc hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat.

Summorum virorum, quos iam laudavimus, scripta sine dubio plurimorum lectorum nostrorum manibus voluuntur, quid igitur opus est, ut actum agam? Legant Grotium, conferant Gronovium interpretem, computent rationes, ipsique iudicent. Hi enim nos esse nolumus, qui iudicium qualecunque publice interponamus in causa, quae eruditissimorum seiunxit animos. Idem, quod a lectoribus nostris exigimus, fecisse nos summa accurate, non diffitemur, eaque re esse ita persuasos, ut causam ab utraque parte diu pensitantes atque haerentes, tandem in eorum sententiam pedibus iremus, qui transitorium dicunt officium humanitatis.

XVI.

Plura non lubet in hanc sententiam a plurimis iam hinc atque inde disputatam differere, sed venio ad id, cuius causa haec scriptura edenda erat. Humanitatis inter officia referri etiam meretur honorum dispensatio, ridiculum enim foret, si quis alterum cogere vellet ad honorem sibi habendum. Hinc honores decenter sunt petendi, atque eruditionis amplitudine comparandi, quia iure non tribuuntur, nisi digno. Ordinis igitur nostri humanitas est antiquitus recepta, qua iuvenes excitat ad spatia maiora in elegantiori doctrina facienda, ut honores in philosophia assequantur summos. Hoc semestri decrevit ordo sapientum, ut per me, praecipua Regis Clementissimi gratia ornatum decanum, honores distribuere-
tur iis, qui sua mihi probauerint studia, in philosophia doctoris, in artibus, quas liberales vocant, magisterium, iisque qui Apollinis sacra colant, laurea poenica. Non dubito esse adhuc inter eos, qui literis bene cupiant, saltem quosdam reliquos, qui his eruditionis suae praemiis sint condecorandi. At Musas timidas nostras ex Helicone, ut aves ex silva

XVI.
Conclusio.

XXIV. DE OFFICIO HUMANIT. FORVMQ. OBLIG.

excisa, fere dispulit vociferatio Martis bellica, quas ex metu recreandi summo flagrat alma mater desiderio. Agite igitur, nolite timere, accedite, cursusque vestri academici felicem reddite exitum, diligentiaeque petite praemia. Vobis, Viri Maxime Plurimumque Reuerendi, Amplissimi, Humanissimi atque Lectissimi Commilitones, Vobis hoc scripto solennem honorum philosophicorum aequae ac poetarum do petitionem, solennique panegyri dico diem Saturni ante dominicam XIX. p. Trinitatis festum, h. e. d. XVI. Octobr. anni, quo nos iam deducimus spiritum. O si Deus tandem nostrorum votorum nos damnet, ut solennia nostra agere tranquilla patria possimus in nominis sui gloriam, ecclesiae, reipublicae, Academiae, Vestrumque emolumentum. Arceat a nobis omnia, quae nostra impediunt studia, benignus Deus, atque iubeat, ut annus, quem Vobis Vestri honores faciant insignem, patriae vniuersae dulcissimae, insignis reddatur pace certa atque exoptatissima. Ita valete, et mecum, praesente Stigelio pio, vota facite quotidiana:

*Da Deus laetae bona sancta pacis,
Quae vacet vitae studiis honestae,
Debito semper tibi quae timore
Seruiat uni.*

*Pace foecundae nutriuntur artes,
Et vigent vrbes, populi que leges,
Omnis et virtus pietasque vero
Claret honore.*

*Ast ubi Mars est, ibi nil honesti,
Sed iacent leges: silet inter arma
Quisquid est sanctum, pietas et omnis
Languet honestas.*

P. P. DOMINIC. II. A FESTO SS. TRINITATIS

CIO ID ECLXII



Österreichische Nationalbibliothek



+Z163588905



